



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Verus Ecclesiasticus Vocationem suam cognoscendi Avidus, Eidemqve Correspondendi Studiosus

Mansi, Giuseppe

Francofurti ad Mœnum, 1693

Cap. XVI. Demonstratur, quam deploranda, ac exitialis sit apud
Ecclesiasticos pluralitas beneficiorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-38106

Caput Decimum Sextum.

*Demonstratur, quam deploranda ac ex-
tialis sit apud Ecclesiasticos plurali-
tas Beneficiorum.*

DUm paucis lineis adornassem *verum Ec-
clesiasticum*, non unus ex amicis grati-
me rogavit, an non foret è decore operis
lius, aliquid dicere de affectu illo, ac inordinato
affectu quo plures feruntur Ecclesiastici
pluralitatem beneficiorum: verum cum haec
sufficienter queat cognosci ex vi vocatio-
suæ, ac spiritu, quo debent duci, qui non de-
bet esse alius, nisi ipse Deus, atque tota illa
pella, id ipsum conatus sim inculcare ac
monstrare, pro amicorum satisfactione, id
monstratum ac decisum habebō, dum
ctos Ecclesiasticos, ex corde cum Prophetis
Ps. 72. v. 25. dicentes audiam: *Quid mihi
caelo, & à te volui super terram? Deus cor
mei, & pars mea Deus in aeternum.* Nonne
Domine, nunquid, dum me adscribi curam
militiæ Clericali, nonne finis mens fuit, ma-
torum spes reddituum, aut pluriū benefico-
rum? Nonne unicus meus scopus, directio
mea fuit intentio, quærere, invenire, posside-
re? Hinc generosissimè recuso, respondo, an-
ma

minor, quidquid me abducere, aut abstrahere potest à tam nobili ac eccellente objecto intento; te solum desiderans, nolo unquam cor meum dividi Præbendarum pluralitate, quæ quantum præjudicat, imo incomparabilis est, cum cultu Ecclesiæ, per divinorum officiorum celebratione, tantum obest saluti animæ.

Dolebat in sacris Canticis sponsa, cap. I. se se, non obstante valida adversariorum machinatione, ac impugnatione, ad actam fuisse ad plurium vinearum acceptandam curam, aut successu parum fausto, dum enim deberet providere aliis vineis, neglexit propriam: *Possuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Per vineam illam vel campum intelligit Gulielmus Episcopus Parisiensis, *Lib. de collat. & plural. Benef. Ecclesiam, & beneficiû,* per quod quilibet Presbyter illi est adscriptus & obligatus, & cû gravitate sermonis, ac pietate sententiæ dicit: *Conductus pretio stipendiû aterni, & etiã temporalis ad operandum in una Ecclesia, qua & unica, & ager, & edificatio spiritalis est, ut ait Apostolus: cõductus, in quã, est, id est institutus, sustinere non debet ad operandû in alia Ecclesia se cõduci, donec fit absolutus à prima cõductione.* Optimamq; hujus assignat rationem Doctor Angelicus D. Thomas, *Quodlib. 9. q. 15,* quinque gravissimas assignans incon-

venientias, quæ ex beneficiorum pluralitate
 oriuntur Primo, quia non est possibile, quod
 unus in pluribus Ecclesiis ea præstet servitium
 pro quibus tamen servitiis est Præbendatus
 in illum enim finem sunt beneficia ista funda-
 ta, & instituta, redditusque eorum illis dispen-
 santur ideo, ut ibidem serviant Deo. Secundi
 inconveniens est imminutio cultus divini, dum
 loco plurium, unus solum surrogatur. Ter-
 tiò, sæpius in hoc defraudatur voluntas & in-
 tentio testatoris, qui ideo bona sua legavit
 Ecclesiæ, ut in eadem foret competens, ac de-
 terminatus numerus ministrorum Dei. Et
 quo sequitur aliud quartum, inæqualitas
 distributionis, dum unus devorat solus ea
 quæ sufficientia erant pro honesta sustenta-
 tione plurium, & in quo unus abundat, al-
 ter eget. Quinto tandem plura alia oriuntur
 prodeuntque incommoda, quæ omnibus
 patent, atque ex iisdem sufficientissimis
 notescunt notata superius ex sacris Cantibus
 damna, quæ, nescio, an commentando, an pla-
 rando acute notavit quidam nesti: i temporis
 sapientissimus interpretis, ac famosissimus Apo-
 stolicus, orator: *Oli va. in cap. i. com. in Cant. Cant.*
Utinam Prælati, quamvis rarissime, Ecclesiis non
canant his contraria. Posuerunt me custodem
vineis, vineam meam non custodi vi, hoc est, Eccle-
siis præfecerunt, ego paternam domum curare
 et

Sexuli. Quasi vellet dicere: Quod multi-
 plicatae sint Ecclesiae, & in iis redundant, suf-
 ficientesque sint fundationes, ex hisce nulla in
 Deum redundat gloria, nullus honor, res-
 ctus nullus, nulla utilitas proximo, nulla ani-
 mae, sed distorquentur illa omnia ad finem a-
 liquem omnino improprium, planèque dispa-
 ratum, imo, quod pejus est, omnino contrari-
 um, ad impinguandas nimirum proprias do-
 mos ac familias. Quod si in legibus militari-
 bus ac civilibus praescriptum sit: *C. l. 2. tit. qui
 militare possunt: l. his quidem, & l. hac constitutio.*
*U. nemo duplici militia, vel dignitate, & mili-
 tia simul utatur, prohibeumq; sit, ne quis eodẽ
 tempore Advocatus, & Assessor sit, neve duorum
 Magistratũ Assessor sit,* quid dicemus de mi-
 litia Ecclesiastica, in qua multo strictior est
 observantia, adversarius formidolosior, ipse
 character nobilior, nullatenus illis aliis confe-
 rendus aut assimilãdus? S. Gregorius Nazian-
 zenus dum considerat tria illa, quae secundum
 Goffredum, reddere possunt justam benefi-
 ciorum pluralitatem, scilicet Ecclesiae utilita-
 tem, necessitatem, aut singularia personae ali-
 cuius excellentis merita, dum hæc dico confi-
 deravit, adeo se anxium, adeo corde constrictum
 reperit, adeo spiritus sui sensit turbatam quie-
 tem, ut in hæc eruperit verba: *de vita sua car,*

Qua mihi tyrannis tam gravis menti fuit.
 Quid sentiemus de illis, de quibus scripsit
 Bernardus: *serm. 33. in Cant. Honorati incedunt
 de bonis Domini, qui Domino honorem non de-
 ferunt?* Certè contra illos generosè loquitur
 Ulicus de Argentina, ac tremendam hanc
 profert sententiam: *L. cen. plur. Si absque ra-
 tionabili causa alicui concedantur plura bene-
 ficia, non vera dispensatio, sed crudelis dissipatio
 secundum Bernardum est: Datque hujus gra-
 vem ac fundatam rationem Panormitanus
 in C. Dudum. Quia hoc casu, non solum altera-
 tur juris positivi dispositio, sed etiam Christi pa-
 trimonium injustè dispergitur.* Ex hisce, in Ec-
 clesiam intrusa sunt tam abominanda mon-
 stra, eo damnosiora, quo occultiora, quæque
 deplorat, ac detestatur Gulielmus Parisiensis
*Lib. de vit. & peccat. 1.9. Quid est, nisi monstrum
 spirituale in corpore universalis Ecclesia? Ali-
 sueti autem hujusmodi monstris, vel potius bene-
 ficiam eorum monstrositatem non videntes, a-
 se jam expavescere nescimus.*

Timebat autem hoc S. Gregorius Magnus,
 sicut in vita ejus refert Joannes Diaconus, tunc
 que continuo habebat in ore: *Singula Ec-
 clesiastici juris officia, singulis quibusque perso-
 nis singillatim committi debere.* Quæ sententia
 inserta juri Canonico, *L. 2. dist. 86. Can. singula*

non solum ex veneratione habet vim persuadendi, verum etiam præcepti locum obtinet per verbum illud *jubemus*, quod additum est; illudque dicit Cardinalis Bellarminus *Adm. ad Nep. Ser. Con. Canones horrent multipliciter beneficiorum*. Horrorem hunc demonstrarunt jam à multis sæculis, etenim in Concilio Lateranensi tertio, celebrato sub Alexandro III. expressa constitutio est, *cap. Refer. & cap. Præterea, extra, de Præben.* quod si Clericus aliquis plura habeat beneficia, unicum sibi tantum retineat, quod sibi videbitur commodius. Pergo ulterius ad aliud Lateranense quartum Concilium, quod per Antonomasiã à factis Canonibus Generale appellatur, ad distinctionem præcedentis sub Alexandro celebrati, *Fagn 1. p. 1. decret. de sum. Trin.* quod simpliciter Lateranense vocatur absque addito, in illo ergo quarto habito sub Innocentio III. ipso jure privatur primo beneficio, quisquis ausu fuerit adire, ac tenere possessionem secundi; Et Joannes 22. in sua extravagante, quæ incipit: *Ex crabilis*, disponit, ac ordinat, quod quam primum alicui Præbendato confertur aliquod beneficium, statim primum resignet in manus Ordinarii, alioquin collatio secundi sit nulla, cujus pacificam

ficam obtinisset possessionem. Hoc ipsum
 jam anticipatè practicaverat suo exemplo
 Clemens IV. Pontifex Sanctissimus, qui cui-
 dam suo Nepoti, tres habenti Canonicatus,
 insinuari, ac mandari curavit, ut duos dimi-
 teret, eligeretq; unum, sibi magis placentem.
 nec Consiliariorum persuasiones ullo modo
 inducere potuerunt Pontificem, ut à laudabi-
 li hoc desisteret proposito, constantissimè ob-
 serens: *Spo. An. 1205. Si Deo, non carni ac san-*
guini acquieturum: Deum ita velle, ut suas
pias causas erogarentur; nec esse dignum Petri
successorem, qui plus cognationi, quam pietati, et
Christo tribueret. Similiter cuidam Fratri suo
 Rectori Ecclesiæ certæ Parochialis, homini
 insigni, ac vitæ valde exemplaris, noluit ce-
 dere unam alteram Parochiam meliorem,
 nisi prius per resignationem cessisset prior.
 Nec Comitis Campaniæ Theobaldi preces,
 tantæ fuerunt authoritatis, & quidem per
 Bernardum ad summum Pontificem ob negotio
 transeuntem porrectæ, pro Nepote suo Gu-
 lielmo ratione alterius Præbendæ, move-
 bus ad hoc, & ætate adhuc satis viridi supple-
 eantis, & intercedentis sancti Abbatis suffra-
 gio, ut aliquid amplius efficerent, quam. *Ne-*
cuiquam vel adulto, plures in pluribus Ecclesiis
habere licet, nisi dispensatorie quidem, ob ma-
gnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum

militatem: Cumq; Pontifex Dei loco dispen-
 set, advertamus non nihil, quid Bernardo Gui-
 doni ordinis Prædicatorum, ac Papæ Pœnitenti-
 ario contigerit cum Gregorio IX. qui inter-
 rogatus, *An posset de plenitudine potestatis, de
 plurium beneficiorum detentoribus dispensare?*
Dim. Cart. con. plu. n. 7. Mansitque in ejusdem
 resolutionis conformitate: *Non possum, nisi
 tantum super vexatione detinentium dispensa-
 re,* quod idem est, ac si dixisset, libero vos à
 molestia temporali, sed non à punitione Dei.
 Optima occasione Carolus Magnus satisfacit
 huic nostro proposito, ac difficultati, di-
 cens, quod sicut foret Polygamia enormissi-
 ma, si quis plures haberet uxores, ita quoque
 si quis plures Ecclesias: *Quia sicut secularis
 non amplius quam unam debet habere uxorem,
 ita unusquisq; Presbyter, non amplius quam
 unam debet habere Ecclesiam,* Baluz. cap. Reg.
Franc. to. 1. lib. 6. 75. ad quæ verba alludens S. Ivo
 Episcopus Carnotensis, Gulielmo Archiepi-
 scopo Rothomagensi, & Gisberto Episcopo de
 Euzep. 103. dicit: *Cum ipsa infantia mun-
 di in Lamech carnalis Bigamia sit culpata, quo-
 modo poterit in sponsa Christi, qua est Ecclesia,
 laudari, qua & Sacramento, & in veritate Sa-
 cramenti, uni debet viro desponsari:* Darrif. sect.
 9. c. 2. ex Glossa prag. sanct. in tit. de collat. Quod
 præclare intellexit, insignis quidam Episcopus,

cui cumoblata esset una Abbatia satis pin-
 guis, constantissimè recusavit duorum bene-
 ficiorum pluralitatem, dicens: *Absit, ut ha-
 beam cum sponsa concubinam*: Quapropter
 non absque ratione à sacris Canonibus plura-
 litas illa vocatur *C. Cler. 21. Q. 1. Negotiationis
 & turpis lucri proprium*, & ab Ecclesiasticis
 consuetudine alienum; audivimus enim ex
 voce Domini, quod nemo possit duobus Domini-
 bus servire. Observavit id accuratè, fortiterque
 sese opposuit pesti illi tunc gravissimè, ac per-
 niciosissimè grassanti, sacra Tridentina Syn-
 nodus *Sess. 24. cap. 17.* (deque eodem malo,
 vir secundum cor Dei, Jacobus Merlohor-
 us piissimus pariter ac diligentissimus Pate-
 chus Coloniensis scripsit: *in annot. ad Ep. Bernard.
 Pests illa sic invaluit, ut jam penitus
 frustra antidotum, & medicina pareretur*) dum le-
 vissimè prohibuit retinere duas Ecclesias, cum
 valde felix sit ille dicendus, inquit, cui unus
 Ecclesiam bene, ac fructuosè, & cum animarum
 sibi commissarum salute, regere contigerit. E-
 terius consideras incommoda, ex pernicioso
 beneficiorum pluralitate resultantia, existimas
 illam potissimam fuisse causam pervertendi
 Ordinis Ecclesiastici, cum Ecclesiasticus ordo
 pervertatur, quando unus plurimum officia occu-
 pat Clericorum. Hoc eodem spiritu, qui in
 fallibi

fallibiliter assistit Conciliis legitimè, ac cum auctoritate summi Pontificis congregatis, sancivit, absque ulla aut personæ, aut conditionis, in quacunq[ue] eminente dignitate constitutæ exceptione, ut in posterum unum tantum beneficium singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre. Hacque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad omnia alia beneficia, tam secularia, quam regularia, quæcumque etiam commendata pertinent, cujuscunq[ue] tituli, ac qualitatis existant.

Quid crederet tam solidam, quam sanctam definitionem, ac statutum, a deo facile, idque frivolas ob rationes violari ac eludi; idque eo amplius, quod semper prudentiorum, magisque celebrium in Ecclesia Dei sententia fuerit, illius obligationem, ac observantiam esse sub mortali culpa: quod sane demonstratur ex eo, quod jam ante multa tempora, dum Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis, de Mandato Clementis Quinti librum scripsisset, de modo aut ordine celebrandi concilium, eumque ad concilium Viennense contulit, atque

in illo dicit Rubric. 21. Theologorum communiter hoc habet opinio, quod si unum habent beneficium, de quo potest non lautè, nec ad elationem & pompam, sed communiter, & mediocriter sustentari, & recipiat vel retineat aliud, mortaliter peccat. Imo etiam multo ante, prout refert Sponlanus ad an. 123, in disputatione habita Parisiis in conventu Patrum Prædicatorum, unanimi Episcoporum ac Doctorum, inter quos etiam fuisse putat Bellarminus, Sanctos Thomam, & Bonaventuram, sententia conclusum est: in q. ad Nep. 6. cont. Neminem cum salute anime duo beneficia, dummodo alterum valeret in annis singulos quindecim libras Parisenses (quod eo tempore, prout notat Analista, sufficiebat, pro honesta annua Ecclesiastici sustentatione) tenere posse. Et quia Philippus Cancellarius fuerat in contraria opinione, dum ad extrema deductus est, & quasi iudicando alteram doctrinam dixisset, se nolle uno solo retento, ullatenus alia dimittere, paulo post ante Dei tribunal deductus, indeque ad infernum damnatus, ex iussu Dei dispositione apparuit Gulielmo Episcopo Parisiensi tunc orationi vacanti, eique declaravit atrocissimas, quas patiebat, pœnas, quodque ad æternos ignes fuisse damnatum.

damnatu*s* Thom. Cant. l. 1. ap. cap. 19. ob tres
causas, inter quas hæc una erat, quia, con-
tra sententiam plurimorum de pluralitate be-
neficiorum, quasi licitè retinendorum, senten-
tiam propriam defensavi, & in hoc me periculo
mortalis culpa commisi. Et adhuc clarius,
quidam aliter magnus ac nominatus vir, post
mortem apparens cuidam Religioso dixit:
hæc sola prabendarum causa est, pro qua infe-
lix ego, aternaliter sum damnatus. Quidam
alter universitatis Lovaniensis Magister no-
mine Joannes, fuit quidem per divinam mi-
sericordiam præservatus à flammis aternis,
non tamen à crudelissimis purgatorii tempo-
ralibus. Erat ille, dicit Theodoricus au-
thor vitæ Dionysii Carthusiani apud Bol-
landum, homo suo tempore totus venera-
bilis, optimæ, integerrimæque vitæ, so-
brius, honestus, pudicus, amans Religionis,
justitiæ tenacissimus, uno verbo talis, qua-
les paucos reperies, qui commune bonum
privatæ suæ, propriæque præfererat utili-
tati: Hujus, subjungit Author, Act. 35. 12.
Martii. 4. hic laudes recenseo propterea, ne
discatur, quibus meritis evaserit pericula æ-
ternæ damnationis. Si quidem nisi tam præcla-
ra in eo inventa fuissent virtutes, nisi tanta
etiam contritione pœnitens seculo emigrasset,
ob

ob Ecclesiastica beneficia, quae multa posside-
rat, supplicium aeternum, quod multi boni
non formidant, non evasisset Prosequitur ulter-
 rius, narratque, quomodo redditus suos, quos
 è sacris percipiebat beneficiis, non impen-
 derit in inutilia, ac superflua aedificia, non
 in lusu inordinatis, aut alendis canibus
 ac equis, non in crapulis, aut commessatio-
 nibus, sed in dotando ac aedificando mo-
 nasterio Canonorum Regularium Rure-
 mundæ, in erigendis Collegiis Daven-
 triæ, ac Coloniae, in benefaciendo Reli-
 giosis Carthusianis, apud quos Ruremun-
 dæ cum onere perpetui anniversarii voluit
 sepeliri. Dum ergo finito primo anno,
 celebraretur anniversarium pro defuncto,
 & in officio defunctorum pervenissent us-
 que ad canticum Zachariae, Dionysius vige-
 lantibus oculis contuitus est super defuncti
 sepulchro, quod erat in Choro, in modum
 feretri flammam igneam se conglobasse, quae
 fumi obscuritate, & sulphuris foetore erat
 horribiles. Exterritus Venerabilis Vir in
 isto, adstantem sibi Fratrem pulsans, spiri-
 tualis visionis esse mysterium intellexit,
 vehementerque doluit, recolens defuncti
 sobrietatem, integritatem, ac virtutes,
 idque amplius eum affligebat, quod nesciret

an flammæ illæ æternas inferni, an temporales portenderent Purgatorii? Labitur interim annus, nec interea quidquam advertit Dionysius circa negotium istud, recurrente autem denuo die anniversario, apparuit ipsi iterum supra tumulum talis flamma, quæ tamen non erat adeo impura, aut plena fumo, neque tam atrox quam altera, sed clarior, benignior, ac mitior. Post hanc secundam visionem iterum expectavit per annum ac redeunte tempore anniversario, ipso eodem die Dionysius raptus est in mentis extasim, nec jam, ut antea corporeis oculis, aut imaginaria, sed intellectuali visione didicit futuram defuncti salutem; quapropter haud tardandum ratus, ut salus ipsius acceleraretur, plurima pro anima ipsius impetravit devota suffragia sacrificiorum ac eleemosynarum, ipseque Dionysius hac excitatus visione, ac tam mirabili eventu, scripsit excellentem tractatum illum, *de periculositate pluralitatis beneficiorum*, qui omnium Ecclesiasticorum deberet teri manibus, ut considerantes periculum, in quo versantur, generosa resolutione errorem suum emendent, providèque prævertant terribilem

bilem à S. Bernardo fulminatam, & ab An-
 gelico Doctore *Quod. ib. 9 ar. 5.* repetit in sen-
 tentiam: *Qui non unus, sed plures estis in be-
 neficiis. non unus, sed plures, eritis in suppli-
 ciis.* Nunquam cessat, nunquam feriat
 divina Providentia, quin omni possibili
 ac modo, exorbitantes aut errantes in viam
 salutis reducat, advertens autem à pluribus
 aut non considerari, aut non curari suble-
 quentis vitæ pœnas, hinc sapius in præ-
 senti hac vita sensibiliber quosdam pun-
 nit, ut ad oculum demonstraret, quantum
 sibi displiceret in personis sibi fa-
 cratis huiusmodi beneficiorum plurali-
 tas. Transeo domum Heli, per duorum
 suorum filiorum interemptionem, aliasque
 gravissimas pœnas, in figuram & exemplum
 positam iis, qui illos in eodem sequuntur ec-
 core, quem sacer textus, detegens eorum
 exorbitantias, expressit dicens: *1. Reg. 1. c. 1.*
retrahebant homines à Sacrificio, circa quod
 statim observavit Cardinalis Cajetanus in
V. Benef. id factum esse ob pluralitatem be-
 neficiorum, per quam, *unus occupat locum*
multorum, alii autem esuriunt. Alter quoque
 Cardinalis Toletus, *de instruat. sac. l. 1. c. 1.*
 recognovit, præ aliis, mala redundancia
 illa plurium beneficiorum infausta scaturig-

ne, hæc enim fundata ratione nobis reliquit pro instructione: *Privatur Deus cultu suo, magis enim, & melius per plures ministros, quam per paucos colitur. Secundo privatur Ecclesia suo jure: dum enim unus usurpat, Ecclesia caret suis ministris, & sic destruitur.* Transeo iterum miseriam ac pœnam istam, penuriam, sterilitatis, aliorumque infastorum eventuum, prædictam à Malachia cap. 2. à Deo infligendam Ecclesiasticis: *Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes, si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus Exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. Cui omnino subscribit Gulielmus Parisiensis, dum quoque ex spiritus sancti præcitato dictamine, de pluralitate beneficiorum, dicit, apud Dionys. Cart. conc. plur. ar. 8. non solum suis membris, sed etiam ministris privari Ecclesiam: *defraudant Deum præconiis gloriae suae, ac membrorum officiiis &c.* Pergit ulterius idem auctor examinare incommoda, quæ patiuntur ii, qui oblessi sunt à Dæmonibus; hi enim alterando corporis humores, inquilinos suos variis, miserimis que subjectos reddunt affectibus ac alterationibus, ex quibus apparet*

paret effectus vindicatricis divinae Iustitiae, refertque pro fundamento huius rei, id quod contigit cum quodam oblectatore Lucæ octavo capite; interrogans enim Christus Dæmonem: *Quod tibi nomen est?* Respondit per os Energumeni: *Legio, quia intraverant Dæmonia multa in eum:* O, subiungit Gulielmus, quam multis possem imponere tale nomen! *Respice Ecclesiam Dei, quantum ad Clerum, & vide, quibus competit nomen illud Dæmonis, qui in Evangelio ait, legio mihi nomen est, quia multi sumus: nam & isti sic vocati sunt Mar. 5. unusquisque enim illorum, unus est in persona, multi in beneficiis.* Et sicuti nomen Dæmonis illis competit, ita quoque, sic disponente divina vindicatrice iustitia, effectus illius sentiant, tum mæque tragicos, ac miserabiles exitus sortiantur. Unde enim tam improvise, & horribiles plerumque mortes, nisi à potentate omnipotentis dextera, in huiusmodi plurium beneficiorum usurpatores commata, ac districta? Confirmo quæ dico, de, ac autoritate Religiosissimi Campanensis, qui narrat se vixisse duodecim annis in certa civitate, in cuius Cathedrali Ecclesia erant sexaginta duo Canonici, quæ

non contenti pinguibus suis præbendis, pluribus aliis fruebantur beneficiis, & omnes fermè, malo fine perierunt: *Vide ergo (concludit ille author lib. i. Apum. cap. 19.) qualem vindictam DEI in ipsos turpissimos detentores (mibi testis & iudex est sanctissima Trinitas) quod paucos eorum vidi communi morte defungi, sed subito omnes, & reprobè mori.*

Tantis itaque perpensis tam temporalibus quam spiritualibus ac æternis malis, quæ ex beneficiorum pluralitate scaturiunt, quis in posterum avide, anxieve studabit, volere ea accumulare? Quis prudens, quis sensatus sataget adipisci id, quod bona temporalia depascit, & insuper æterna evertit? Integro libro hoc ipsum argumentum cum magna satisfactione discussum legi apud alium Gulielmum de Place, lib. de Cler. sanctim. & Ecclesiast. Benef. singul. qui est solidis rationibus, & autoritatibus summis ac ineluctabilibus laborat eliminare, stirpitusque evellere ex Ecclesia DEI malum illud tam exitiale, tam execrandum, adeat illum, legatque cuicumque placet ac vacat. Verum, à funestis illis tristibusque exemplis, quæ proposuimus, transeundo, proponamus

nobis gloriosam mortem Beati illius Ecclesi-
 stici Godefridi Dunei, qui non absque sin-
 gulari divina dispositione hisce nostris tem-
 poribus pro speciali exemplo Beatorum fr-
 atris est adscriptus, ac inter felices Górcorn-
 enses Martyres vexillum erexit: de hoc, in-
 ter reliquas alias ejus eminentes virtutes, que
 ipsum indubiè ad pretiosam Martyrii pal-
 mam disposuerant, refertur præcipuam quo-
 dammodo fuisse, quod *unico, eoque tenui be-
 neficio Ecclesiastico contentus, cui præsentis de-
 serviebat, nihil ultrà quæsivit.* *Estus in Hist.*
Martyrum Gercomiensium. Utinam pretiosus
 ille sanguis, suorumque aliorum confocio-
 rum Patrochorum Martyrum apud Deum ef-
 ficaciter intercedat, ut corda Ecclesiastico-
 rum vera illustrentur luce, ne in illos cadat
 justissima illa cujusdam pii ac zelosi scriptor-
 querela: *Qem mihi dabis, qui sua sit sorte, et
 vocatione contentus, cui non protinus habita
 vilescant, qui non insana cupiditate ampliorum
 beneficiorum jugiter ardeat?*

*Nicolaus
 de Clamengis. l. de Stud. Theol.
 Tom. 3. Spicil. Dacherii.*

